

causam Protagoræ & Evathli, de qua *infra* §. 16. in longis-
 mum diem distulere; & iidem in causa mulieris, quæ virum
 & filium interemæ, quod ab his optimis indolis juvenem,
 quem ex priore viro enixa erat, occisum conperisset, à Dola-
 bella Proconsule Asiæ ad se rejecta; accusatorem & ream post
 100. annos redire iusserunt *Valer. Max. VIII. 1. sect. 3. num. 2.*
Gen. XII, 7. Simile Orestis facinus, is matrem Clytemne-
 stram adulterio, & patris sui Agamemnonis cæde pollutam
 filius trucidavit, & furiis conscientiaë agitatus ad extremum
 stitit se Areopagitarum Judicio. Ibi agitatâ re, par calcu-
 lorum nigrorum alborumq; numerus evasit: sed Minerva
 præses judicii anim-adversâ realbum adjecit de suo. Ita
 Orestes absolvitur, & furiaë quievêre. Unde proverbium:
Minervæ calculus (cujus rationem hanc *in Chil. 3. cent. 4. n. 53.*
Erasmus non penetravit) qua fabula signari volunt, in du-
 bio reum absolvendum. Unde ad §. 12. casus hic potius
 referendus est, sed similitudine exempli maluimus hîc præ-
 occupare. Simillimus quoq; casus, quem *Valerius Maxim.*
refert d. l. n. 1.: quædam matrem fusti interfecerit, dolore
 liberorum commota ab aviâ filiaë infensa necatorum, Parri-
 cidiumq; ulta parricidio. Qua de re M. Popilius Lænas,
 Prætor, nihil pronunciavit. L. Fimbria judex electus de
 sponsione, quam quis cum adversario fecerat, quod esset vir
 bonus, judicare noluit, ne vel probatum Virum fama spoli-
 aret; vel juraret, virum bonum esse, cum ea res innumera-
 bilibus laudibus contineatur. *Valer. Max. VII, 2. sect. 1. n. 4.*
 Cum vir integræ existimationis ageret contra hominem
 improbum ex mutui capite, sed probationibus deficeretur;
 Gellius, judex lectus, pronunciare noluit, juravitq; sibi
 non liquere, *Gell. XIV, 2.* idq; licuisse iudicibus ostendit
l. 13. §. 4. de recept. qui arb. l. 36. de re iud. Sed hodiè fieri de-
 bere negat *Trentler, 12. 17,* & de ordinariis magistratibus,
 quibus